

variabant aut habebant quod nos vertimus. Si variabant, quemadmodum & Latina, quoniam argumento docet Hieronymus, utrum sit rectius, utrumve scriptum sit ab Apostolo, presertim cum quod reprehendit, tum haberet publicus usus Ecclesia? quod ni fuisset, non video qui possint habere locum, quae apud ipsum sequuntur, in quibus conqueritur, se falsarium corruptoremque sacrarum literarum pronunciari, at quis eum clamasset falsarium, nisi publicam mutasset lectionem? Quod si apud Græcos legit Cyrillus, quod nunc habent Græci Codices, si apud nos Augustinus ac Beda, aut tantum hoc legit, aut utrumque legit, non video quid adferat argumenti Hieronymus, quo docet germanam esse lectionem, quam ipse nobis tradit.

Resp. Græcos Codices tempore Hieronymi non variasse colligitur ex eo, quod Latinos translatores infidelitatis hoc nomine accuset; quod versiculum illum omiserint, at si in quibusdam Codicibus non extitisset, non potuissent infidelitatis accusari, ut monuimus etiam superius. Quod de publico Ecclesiae usu affertur, id vel de Græca Orientali, vel Latina Occidentali intelligitur. In Græca Ecclesia non fuit versiculus ille omissus, cum in Græcis Codicibus locum habuerit, ut ex hoc ipso loco Hieronymi constat: de Cyrillo quod objicitur, suo loco inferius explicabitur. In Latina Ecclesia itidem non fuit penitus ignotus, ut patebit ex testimoniis Patrum inferius adducendis. Quod non fuit in omnibus exemplaribus Latinis inventus, illud argumento est, vel translatorum infidelium negligentia fuisse omissum, vel Arianorum malitiâ erasum, id vero nihil quicquam præjudicat Græco textui qui solus in Nov. Test. est authenticus. Quod si ex usu Ecclesiae absolutè & simpliciter velimus iudicium facere, quis textus sit authenticus, consequens fuerit Græcam LXX. Interpretum versionem esse authenticam, quia antequam Hieronymi versio prodiret, ea publico Ecclesiae usu fuit recepta, ut constat ex Augustino lib. 15. de civit. Dei cap. 23. lib. 18. ejusd. cap. 42. &c. cum tamen ab Hebræo textu sæpè quam longissimè discedat, & juxta eam Methusalem

falem